TRACTATUS

Pacis, Bonæ Correſpondentiæ,

Et Neutralitatis in *AMERICA*,

Inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem

JACOBUM II.

Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem,

FIDEI DEFENSOREM, &c.

Et Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem

LUDOVICUM XIV.

EADEM DEI GRATIA

REGEM Chriſtianiſſimum,

Concluſus $\frac{6}{16}$ Die Menſis *NOVEMBRIS*,

Anno Dom. 1686.

CUM PRIVILEGIO.

Typis Thomæ Newcomb, unius ex Typographis Regiis in vico vulgò dicto *The Savoy*, 1686.

TRACTATUS

PACIS, Bonæ Correſpondentiæ, & Neutralitatis in Americâ,

Inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem

JACOBUM SECUNDUM,

Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ Et Hiberniæ Regem, Fidei Defenſorem, &c.

Et Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem

LUDOVICUM XIV.

Eadem Dei Gratiâ Regem Chriſtianiſſimum,

Concluſus $\frac{6}{16}$ die Menſis Novembris,

Anno Dom. 1686.

I.

CConcluſum & Concordatum eſt, quòd ab hoc uſque die ſit firma Pax, Unio, Concordia, & bona Correſpondentia tam Terrâ quàm Mari inter Nationes Britannicam & Gallicam in Americâ, ſive Septentrionali,

ſive Meridionali, & ſuper Inſulas, Colonias, Fortalitia, Civitates, & Præfecturas, ſine diſtinctione locorum, ſub Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ, vel Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi ditione in America poſitas, & Præfectis utriuſque Regis reſpectivè Gubernatas.

II.

Quòd nullæ Naves aut Navigia majora vel minora ad Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ Subditos in prædictis Anglici juris Inſulis, Coloniis, Fortalitiis, Civitatibus, & Præfecturis pertinentia inſtruantur, vel adhibeantur ad aggrediendum Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi Subditos in ſuis Inſulis, Coloniis, Fortalitiis, Civitatibus, & Præfecturis, vel ad ullam iis injuriam aut damnum inferendum. Pari modò, quòd nullæ Naves aut Navigia majora vel minora ad Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi Subditos in prædictis Gallici juris Inſulis, Coloniis, Fortalitiis, Civitatibus, & Præfecturis pertinentia inſtruantur, vel adhibeantur ad aggrediendum Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ Subditos in ſuis Inſulis, Coloniis, Fortalitiis, Civitatibus, & Præfecturis, vel ad ullam iis injuriam aut damnum inferendum.

III.

Quòd nulli Milites, homineſve Militares, vel alii qualeſcunque habitantes & commorantes in prædictis Anglici juris Inſulis, Coloniis, Fortalitiis, Civitatibus, & Præfecturis, vel qui illuc ex Europâ in

in Præſidia veniunt, ullum actum hoſtilitatis, ullumve damnum aut injuriam, directè vel indirectè faciant aut moliantur adverſus Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi Subditos in prædictis Gallici juris Inſulis, Coloniis, Fortalitiis, Civitatibus, & Præfecturis; neque ullum auxilium, aut ullas ſuppetias hominum, vel victualium præbebunt, aut ferent Barbaris, cum quibus Rex Chriſtianiſſimus bellum geret. Pari modo, quòd nulli Milites, homineſve Militares, vel alii qualeſcunque habitantes & commorantes in prædictis Gallici juris Inſulis, Coloniis, Fortalitiis, Civitatibus, & Præfecturis, vel qui illuc ex Europâ in Præſidia veniunt, ullum actum hoſtilitatis, ullumve damnum, aut injuriam directè vel indirectè faciant aut moliantur adverſus Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ Subditos in prædictis Anglici juris Inſulis, Coloniis, Fortalitiis, Civitatibus, & Præfecturis, neque ullum auxilium, aut ullas ſuppetias hominum vel victualium præbebunt aut ferent Barbaris, cum quibus Rex Magnæ Britanniæ bellum geret.

IV.

Conventum eſt, quòd uterque Rex habeat, retineatque ſibi omnia Dominia, Jura & Præeminentias in Maribus Americanis, Fretis atque Aquis quibuſcunque, eâdem pari amplitudine, quæ illis jure competit, & eodem modo quo illis jam fruuntur.

V. Atque

V.

Atque idcirco Subditi & Incolæ, Mercatores, Navarchi, Nauclerí, Nautæque Regnorum, Provinciarum, Terrarumque utriusque Regis respectivè abstinebunt, cavebuntque sibi a Commerciis & Piscaturâ in locis omnibus quæ ab unâ vel alterâ parte occupantur vel occupabuntur in Americâ, nimirum Regis Magnæ Britanniæ Subditi Negotiationem non dirigent, Mercaturam non exercebunt, & Piscaturam non facient in Portubus, Fluminibus, Sinubus, Æstuariis, Stationibus, Litoribus, lociſve, quæ Rex Christianissimus in Americâ tenet, vel in posterum tenebit; Et vicissim Regis Christianissimi Subditi Negotiationem non dirigent, Mercaturam non exercebunt, & Piscaturam non facient in Portubus, Fluminibus, Sinubus, Æstuariis, Stationibus, Litoribus, lociſve, quæ ibidem a Rege Magnæ Britanniæ possidentur, vel in posterum possidebuntur; Et si Navis aliqua ſive Navigium deprehendetur Mercaturam vel Piscaturam faciens contra hujus Tractatûs tenorem, Navis ista ſive Navigium unà cum onere (probatione legitimâ factâ,) fisco adjudicetur; Licebit tamen parti, quæ se gravatam senserit ejusmodi Confiscationis sententiâ, Concilium Statûs istius Regis, à cujus Præfectis vel Judicibus lata fuerit contra ipsum sententia, adire, ibidemque querelam suam eâ de re exponere, quod tamen executionem Sententiæ non impediat: Intellectum tamen semper esto, libertatem Navigationis neutiquam interrumpi debere, modò nihil adversus genuinum hujus Tractatûs sensum committatur.

VI. Item

VI.

Item Concordatum est, quòd si alterutrius Regis Subditi & Incolæ cum Navibus suis, sive Bellicæ sint & publicæ, sive Onerariæ ac privatæ, procellis abrepti fuerint, vel persequentibus Piratis, Inimicis, ac Hostibus, aut aliquâ aliâ urgente necessitate coacti fuerint, sè ad Portum quærendum in alterius Regis Flumina, Sinus, Æstuaria, ac Stationes recipere, vel ad Litora quæcunque in Americâ appellere, benignè omnique humanitate ibidem excipiantur, amicâ gaudeant protectione & benevolè tractentur; Nullo autem modo impediantur, quo minùs integrum omninò habeant reficere se, Victualia etiam & omne genus Commeatuum sive Vitæ sustinendæ, sive Navibus reparandis & Itineri faciendo necessarium, æquo & consueto pretio comparare: Nullâ quoque ratione prohibeantur ex Portu & Statione vicissim solvere, ac egredi, quin ipsis licitum sit, pro libitu, migrare loco, liberéque discedere, quandocunque & quocunque visum fuerit, absque ullâ molestatione aut impedimento. Cautum verò semper sit, ut Onus non distrahant, neque Mercium aut Sarcinarum aliquid è Navibus efferant, & vendi exponant, nec etiam Mercimonia ab alterâ parte in Naves recipiant, vel Piscaturam faciant, sub pœnâ Confiscationis Navium & Mercium, eo modo, quo præcedenti Articulo conventum est. Concordatum insuper est, quòd quotiescunque alterutrius Regis Subditi cum Navibus suis alterius Portus ingredi, prout supradictum est, coacti fuerint, ipso ingressu Vexillum vel Signum Nationis suæ exponere

ponere & adventus ſui notitiam trinâ Tormenti majoris exploſione dare tenebuntur, ſin autem majora ipſis non fuerint Tormenta, trina Sclopetæ exploſio ſufficiet: Quòd ni fecerint, Scapham autem ad terram miſerint, Confiſcationi obnoxii erunt.

VII.

Pari ratione, ſi Naves alterutrius Regis ejuſdemq: Subditorum ac Incolarum ad Oras aut in ditionibus quibuſcunque alterius impegerint, jactum fecerint, vel (quod Deus avertat) Naufragium aut damnum quodcunque paſſæ fuerint, Periclitantibus aut Naufragis benevolè & amiciſſimè ſubveniatur, atque auxilium feratur, Literæque illis Salvi-conductûs exhibeantur, quibus inde tutò & abſque moleſtiâ exire, & ad ſuam quiſque Patriam redire valeat.

VIII.

Quando alterutrius Naves (uti ſupradictum eſt) Maris periculo, aliâve cogente ratione compulſæ in alterius Portus adigantur, ſi tres quatuorve fuerint, juſtamque ſuſpicionis occaſionem præbere potuerint, adventus iſtiuſmodi cauſa Gubernatori vel Primario loci Magiſtratui ſtatim exponetur, nec diutiùs ibi mora trahetur, quàm quæ illis a dicto Gubernatore aut Præfecto permiſſa, & victui comparando, Navibuſque tum reſarciendis, tum inſtruendis commoda atque æqua fuerit.

IX. Con-

IX.

Conventum insuper est, quòd Regis Magnæ Britanniæ subditis Insulam S^{ti} Christophori habitantibus licebit Salem de Salinis ibidem petere, ac sine ullâ molestiâ vel impedimento aliquo tam Mari quàm Terâ asportare; licebit etiam Subditis Regis Christianissimi prædictæ Insulæ, Flumina sinus Magni ibidem intrare ad aquam hauriendam vel comparandam: Proviso tamen, quòd Regis Magnæ Britanniæ Subditi salem Navibus vel Navigiis non nisi diurno tempore imponent, itidemque Regis Christianissimi Subditi aquam diurno tantùm tempore hurient; Et quòd Naves vel Navigia utriusque respectivè Nationis, quæ Salis petendi vel Aquæ hauriendæ gratiâ accesserint, adventum suum Vexilli vel Signi Nationis suæ expositione, & trinâ Tormenti majoris explosione significabunt; sin autem majora ipsis non fuerint Tormenta, trina Sclopetæ sufficiet explosio. Si vero aliqua Navis alterutrius Nationis, sub prætextu petendi Salis vel hauriendæ Aquæ, Mercaturam fecerit, fisco addicetur.

X.

Quòd Subditi neutrius Nationis excipient Barbaros loci Incolas, vel Servos, sive Bona, quæ ab alterius Nationis Subditis directa dicti Incolæ auferent, aut auxilium protectionemve ipsis exhibebunt in ejusmodi Direptionibus vel Deprædationibus.

XI.

Quòd Præfecti, Officiales, & Subditi alterutrius Regis, alterius Subditis nullam molestiam inferent in Coloniis respective suis stabiliendis, aut in Commercio & Navigatione faciendâ.

XII.

Et quò Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ, Serenissimi item Regis Christianissimi Subditorum securitati abundantius cautum sit, quòd nulla injuria per alterutrius partis Naves Bellicas, vel alias sumptibus privatis ad Bellum instructas, iis inferetur; omnibus tam Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ, quàm Serenissimi Regis Christianissimi Navium Præfectis, omnibusque eorum Subditis, qui suis impensis Naves instruent, ut & Privilegiatis hinc inde Communitatibus, omni in alteram partem injuriâ & damno quocunque interdicetur. Sin secus faciant, pœnas luent, & præterea obstricti erunt de damno cum omni causâ & eo quod interest, satisfacere, per Reparationem & Restitutionem sub obligatione & nexu Personæ Bonorumque.

XIII.

Ob hanc causam singuli Navium sumptibus privatis ad Bellum instructarum Præfecti, antequam Diplomata sive Commissiones suas speciales recipiant, sufficientem fiduciariam cautionem per viros idoneos, qui solvendo sunt, & in tali Navi partem vel interesse

teresse non habent, coram Judice competente interponere in posterum tenebuntur, in Summâ Mille Librarum Sterlingarum, sive Tredecim Millium Librarum (vulgò Livres,) & quoties Centum & Quinquaginta numero excedent Homines, in Summâ bis Mille Librarum Sterlingarum, sive Viginti Sex Millium Librarum, se Damnis & Injuriis quibuscunque, quas suo cursu Navali, ipsi vel sui Officiales, aliive sibi inservientes, contra præsentem hunc Tractatum vel alium quemcunque inter Serenissimum Regem Magnæ Britanniæ & Serenissimum Regem Christianissimum committant, in solidum satisfacturos, sub Pœnâ etiam Revocationis & Cassationis Literarum Commissionalium, specialium ac Diplomatum, in quibus semper inseretur, talem cautionem ab ipsis (ut præsertur) interpositam fuisse. Et insuper conventum est, quòd Navis etiam ipsa Damnis & Injuriis a se illatis satisfacere tenebitur.

XIIII.

Cùm verò Piratæ per Maria Americæ tam Septentrionalis quam Meridionalis huc illuc discursantes, multa Commerciis inferunt damna, & utriusque Coronæ Subditos in partibus istis Navigantes, & Mercaturam exercentes variis afficiunt Molestiis, Concordatum est, quòd utriusque Regis Præfectis & Ministris strictè injungatur, quatenus Piratis, cujuscunque fuerint Nationis, nullum omnino Auxilium, Patrocinium, vel etiam Recessum in Portubus aut Stationibus sub eorum respectivè ditionibus sitis, quoquo modo præbeant: Prædictis etiam Præ-

fectis & Ministris expresse mandetur, ut omnes, qui Navem vel Naves sine legitimâ Commissione ac Authoritate ad cursum instruere deprehendentur, tamquam Piratas puniant.

XV.

Nullus utriusvis Regum Subditus Diploma aut Commissionem, Navem vel Naves ad cursum in Americâ sive Septentrionali sive Meridionali armandi & instruendi petat vel accipiat, a quovis Principe, aut Statu, cum quo alter Regum Bellum gerit, si quis autem istiusmodi Diploma vel Commissionem acceperit, ut Pirata puniatur.

XVI.

Christianissimi Regis Subditi plenâ fruantur libertate piscandi Testudines in Insulis vulgò Cayman dictis.

XVII.

Quòd siquæ unquam Differentiæ aut Controversiæ inter Subditos prædictorum Sereniſſimorum Regum in prædictis utriusque juris Insulis, Coloniis, Fortalitiis, Civitatibus, & Præfecturis (sive Mari sive Terrâ) ortæ fuerint, Pax hæc & Bona Correspondentia non idcircò interrumpetur aut infringetur, verùm istæ Controversiæ, quæ inter Subditos amborum Regum evenerint, cognoscantur, decernantur, & determinentur a Præfectis utriusque respectivè jurisdictionis, ubi controversiæ ortæ fuerint, vel

vel ab iis quos ipsi deputaverint: Si verò eædem differentiæ a dictis Præfectis intra spatium unius Anni determinari non possunt, prædicti Præfecti eas utrique Serenissimo Regi quantocyus dimittant, ut pro Justitiâ, eo modo quo inter ipsos conveniet, determinentur.

XVIII.

Concluſum insuper & concordatum est, quòd si unquam aliqua ruptura (quod Deus avertat) inter dictas Coronas in Europâ acciderit, nullus tamen Actus hostilitatis, neque Terrâ neque Mari, exercebitur, ab ullis Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ Præsidiis, Militibus, aut Subditis quibusvis Insularum, Coloniarum, Fortalitiorum, Civitatum, & Præfecturarum nunc existentium, vel quæ in posterum erunt juris Anglici in Americâ, adversus Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi Subditos, in ullis Americæ Colonîis habitantes vel ibidem commorantes. Item reciprocè, quòd in supradicto casu rupturæ in Europâ, nullus hostilitatis Actus, neque Terrâ neque Mari, exercebitur, ab ullis Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi Præsidiis, Militibus, aut Subditis quibusvis Insularum, Coloniarum, Fortalitiorum, Civitatum, & Præfecturarum nunc existentium, vel quæ in posterum erunt juris Gallici in Americâ, adversus Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ Subditos, in ullis Americæ Colonîis habitantes, vel ibidem commorantes; sed Pax & Neutralitas vera & firma remanebit in Americâ inter prædictas Nationes Britannicam & Gallicam, eodem planè modo, ac si talis ruptura in Europâ non accidiſſet.

XIX.

XIX.

Proviſum & concordatum eſt, quòd præſens iſte Tractatus nullo modo deroget Tractatui inter prædictos Sereniſſimos Reges 31. die Menſis Julii Anno Domini 1667 Bredæ concluſo, ſed quòd omnes & ſinguli illius Tractatûs Articuli Clauſulæque ſuo in vigore maneant & obſerventur.

XX.

Quòd omnes Tractatus ſive Articuli ullo antehac tempore inter prædictas Nationes ſuper Inſulam Sti Chriſtophori, vel alibi in Americâ, facti & concluſi, priſtinum ſuum vigorem obtineant, & ab utrâque parte obſerventur, ſicut antea, niſi in quantum contrarii eſſe reperiantur præſenti huic Tractatui.

XXI.

Conventum denique & concluſum eſt, quòd præſens Tractatus omniaque & ſingula in eo contenta, quàm maturè fieri poterit, hinc inde ratihabebuntur & confirmabuntur, quódque Ratificationes deſuper habitæ intra duos menſes a datâ Præſentium reciprocè ritéque inter ambas partes permutabuntur, atque intra Octo Menſium ſpatium, aut citiùs ſi fieri poterit, per omnia utriuſque Regis Regna, Dominia, & Colonias tam in Americâ quàm alibi, publicentur.

In

In quorum Omnium & Singulorum fidem, Nos Plenipotentiarii præsentem Tractatum Manibus nostris & Sigillis mutuis subsignavimus & munivimus, &c. Datum in Palatio Regio de Whitehal Die .. Mensis Novembris. A. D. 1686.

Jeffreys C. (L. S.) *Barillon d'Amoncourt.*

Rochester (L. S.) (L. S.)

Sunderland P. (L. S.)

Middleton (L. S.)

Godolphin (L. S.)

FINIS.